



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 3. Communio sub utraque specie eis permissa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1556.

§. III.

*Communio sub utraque specie eis  
permissa.*

**H**is insuper Ferdinandus addit: *ut  
animi mei propensionem, atque clemen-  
tiam in vos agnoscatis, equidem illam edicti  
mei partem, quæ ad Cænam Domini per-  
tinet, delebo, ac temperabo vobis permit-  
tendo usum calicis, (\*) sed ea lege tamen,*  
ut

(\*) Nimia levitate Continuator hanc edicti partem, quam Ferdinandus se dempturum pollicebatur, de communione sub una specie interpretatur, cum tamen ipsemet Deputatis ostenderit, quod penes ipsum non sit quicquam hac in re immutare: percipiamus igitur ipsamet Ferdinandi Verba a Continuatore subdole omiffa ex Sleidano: *Cæna Domini*, inquit Ferdinandus, *licet integra fuit instituta, tamen in prisca etiam Ecclesia sub altera specie distributa fuit, sicut prolixè demonstrari posset, non ergo Constantiensis Concilii tempore primum mutata res fuit, sed multis ante sæculis ea consuetudo duravit: itaque facile vobis est cogitare, quam mihi non sit integrum, receptam illam, & a Conciliis approbatam legem authoritate mea privata mutare, vel abolere, præsertim hoc tempore, quando & religioni pax est data nuper, & in futuris proximis*  
Comi-

ut omni Secta repudiata, nihil immutetis Sæcul. XVI.  
 in Ecclesie legibus, atque ceremoniis, & A C 1556.  
 futuri conventus Ratisbonæ habendi decre-  
 tum expectetis. Præterea Ecclesie Mini-  
 stris & Ludimagistris, ac Rectoribus, si  
 modo formulam hanc sequantur, nulla fiet  
 etiam molestia, sicut & ante hoc tempus  
 nemini præter jus vim ullam inferri sum-  
 passus: cum ergo, prosequeretur Rex, sim  
 ad hunc modum in vos animatus, fore con-  
 fido, ut & vos debitam submissionem certis  
 omnino argumentis testatam reddatis, ni-  
 hilque amplius desideretis, & quoniam pub-  
 lica necessitas urget, in commune consulere  
 vos decet, & conferre id, quod oportet.  
 Verum hoc Ferdinandi responso Austriæ  
 Deputati nondum erant plene contenti,  
 quapropter suam petitionem ingemi-  
 nantes die duodecima Februarii hæc  
 reponebant: quod in caussa longe omnium  
 gravissima, quæ perpetuam felicitatem con-  
 tinet, & ad nostram etiam, ac liberorum  
 salutem imprimis pertinet, adeo nihil im-  
 petremus, vehementissime dolemus, hanc vero  
 usitatam Cæncæ Domini distributionem,  
 olim fuisse receptam ab Ecclesia dicis, po-  
 tentissi-

---

Comitiis de conciliatione tractandum est amplius:  
 qua quidem in actione totis viribus incumbam,  
 ut dissidium omnino tollatur: sin autem id fieri  
 non possit, tum eas inibo rationes, quæ vestris  
 tum fortunis, tum saluti quoque conducent.

Sæcul. XVI  
A.C 1556

*tentissime Rex: ast id sacris literis copiose refutari, simulque eorum error patefieri potest, qui hoc tibi persuadent, quod autem nuper Augustæ facti decreti sententiam hanc esse dicis, ut sui Principis religioni sese populus accomodet, certe quia superioribus aliquot annis, & multo ante hoc decretum de communi consensu pro religione tibi supplicavimus, integrum nobis esset etiam, si quidem in responso permaneat, divenditis bonis alio cum uxoribus, ac liberis commigrare: quid autem in eo sit incommodi, deinde quam sit istud futurum ipsi populo luctuosum, & triste nuntium, quis non videt? quando nimirum audient, ipsis, qui more majorum sanguinem, atque vitam pro domus Austriacæ salute, ac dignitate semper profuderunt, deserendam esse dulcissimam patriam, tot sæculis habitatam, & exultatam a suis majoribus? itaque responsum illud, hac quidem in parte, non recipimus, nec ratum habemus, verum ut antea saepe, per omnia sacra precamur, ut incomparabilem illum verbi divini thesaurum nobis permittas, nec ullum in ea re nobis impedimentum inferri sinas.*

Ad hæc quarto post die Rex hisce Deputatis declarabat, quod eorum petito jam esset satis factum, ac plura concedere, ipsi haud integrum foret. Verum Legati denuo idem urgent, neque se posse desistere dicunt, et, si ni-

hil impetrent, fore ajunt, ut illa de ferendis auxiliis deliberatio plane tardetur, & impediatur: quod nullum ipsi mandatum habeant, ut aliquid in eo promittant, nisi de religione ipsis, & Ecclesiæ ministris, ac Ludimagistris idonee prius caveatur, ac libera fiat docendi potestas. Quapropter hic Ordinum conventus re infecta solvebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

§. IV.

*Bavari Protestantium Sectam profitendi facultatem petentes.*

Solutis hisce comitiis Ferdinandus Rex in Bohemiam contendit, ubi Provinciarum Legatis Pragam convocatis auxilia pro Turcico bello petebat, qui etiam pecuniarum subsidia ab eis impetrabat: cum autem pro parandis ad bellum necessariis prompte Viennam rediendi necessitas urgeret, hinc Imperii comitia prima Junii die celebranda indixit. Hæc dum interea gerebantur, Bavari idem, quod Austriaci a Ferdinando petebant, ab Alberto quoque suo Duce extorquere nitebantur: Albertus igitur, cum pecuniis egeret, haud difficilem se eorum postulatis exhibuit, sed post leves quasdam sollicitationes suis ad tempus indulgit, ut cœnam Domini sub utraque specie sumere, ac diebus